Threnos Militarius

Ingeminatus;

SIVE,

Mnemoſynum Lapidarium

Lotharingii Ducis & **Schombergi,**

Gemini in Re Militari Coryphæi

Heroûm Duo, uno eodemq; Anno Defuncti,

Sempiternæ Memoriæ,

ET

Sepulchrali Marmori

Conſecratum.

Per J, N. *M. D.*

LONDINI,

Excudebat T. M. Anno Domini 1690.

DIVI CAROLI
LOTHARINGIÆ DUCIS
M. S.

SIſte Viator quicunque ſis,
Si *mirari*, ſi *flere* velis,
Non ſtupore leviuſculo, non lachrymulis officioſis,
Attonitus omnino, & verè liquefactus:
Mortuum vide vel Virûm *Immortalem*,
CAROLUM luge **LOTHARINGIÆ DUCEM**,
Satis ſunt ad Titulos hæc duo nomina,
Sat Gallorum, Turcarumq; Terrori,
Orbi Terrarum ſtupori,
Satis ſuperq; Lugentis Germaniæ Dolori incre-
dibili:
Vacillantis Imperii; *Decus*, olim & *Tutamen*,
Florentis, jamjam *Deſiderium*;
Sic ſatis eſt *CAROLO*, *Cæſarem* feciſſe vere
AUGUSTUM.
Cave Lector (ne verbulo ſimplici)
Tantæ injurioſus Virtuti,
Heroëm ſalutabis *CAROLUM* plus quam com-
muni Apotheoſi dignum,
Heroicæ Virtutis quicquid inerat *Superiori* ſeculo
Facile Compendium,
Exemplar haud Imitabile *Futuro*.

Superant Famam Facta,
Græculos ſuperant; Iliadesque ſuas,
Fabulasq; *Romanas*;
Dux verè *Clypeo* Donandus & *Trophæo*,
CONSILIO, FORTITUDINE,
Utrumq; Par referens Certamine,
Uno habuit Germania Græcorum *Duos*,
Ulyſſem & Ajacem *CAROLO*:
Hoc *Uno* Roma tuum habuimus *Horatium*,
Hoc *Unico* Roma tuum vide *Fabium*,
Solus ſuſtinuit *Turcarum* Legiones,
Verè & *Cunctandò* Romanorum *Rem Reſtituit*.
Injuſtus merito, & memoriæ
Qui *Magnum* Te fecerit *Alexandrum*,
Divumve Julium,
Granicum DANUBIO confert, *Rhenique Trajectum*
Rubiconi.

Poſt varios conflictus, dubiasq; Victorias
De fœderatis *Gallis*, *Turcisq;* reportatas,
1683. Auguſtâ tandem *liberatâ* Civitate *Viennenſium*,
Copiisq; partim ſuis etiam *Munitâ*,
Tremefacta per Arva *Ottomanica* victrices duxit
Aquilas,
Strigoniis cum duplo hoſtium numero congreſſus
Qui, vel optimæ erant obſidientium Reliquiæ,
Neceſſitate loci, fortiſſimi,
Inglorioſæq; Fugæ ad Furorem uſq; Vindicarent Infamiam,
Polonosque inſuetos Terga dare repellebant,
Quibus *ſola ſalus* erat, *nullam ſperare*,
Deſperatum Agmen fregit,
Arcem Inſuperabilem cepit,

Subjugatisq;

Subjugatisq; circumjacentibus Oppidulis Regionibusq;
Ad obſidionem *Budenſem* Vindex tendit,
(Capitale ſcil. præſidium, hactenus Inexpugnabile)
1684. Loci difficultatem *primo* Anno monſtravit Orbi,
Secundo docuit nihil arduum eſſe *CAROLO*,
Quod Magnus SOLYMANNUS *Fraude*,
Major *CAROLUS Virtute*,
1685. Cepit, Evertit, Vaſtavit,
Conſpicientibus Hoſtium Copiis,
Pallentibus, tremefactis, fruſtraque Liberationi Intentiſſimis,
Gentem *Barbaram* Penitus eruit, *Chriſtianam* introduxit,
Decreſcenti *Lunæ* Triumphantem Exaltavit *Crucem*,
Dominoque vero, reduxit ſubitò *Regnum Hungaricum* :
Non Unius Ætatis erat, quod duobus & Circiter Annis,
Ultrâ Fidem, pro *Fide Chriſtianâ* fecit Dux invincibilis :
Tumultuantibus tandem *Omnis Fidei* Violatoribus,
Gallis injuſto Bello vim Imperio *ferentibus*
Uno repreſſo, contrà Alterum Hoſtem Communem
vindicabundus involat
Ad *Prædam* veniebant haud *Prælium*, Ultrices *Aquilæ*,
MOGUNTIAM obſeſſit, fortiter Invaſit, feliciter Occupavit, 1689.
Deditione *Gallorum* ingloriosâ
(*Niſi in Famam vertatur pandere Fores,*
Cum Alterum habuerunt ad portas Hannibalem :)

Sic pro *DEO*, pro *Cæſare* pugnans
(Quaſi *Bello Pacem quæſiverat*)
Armorum Intervallo, Hyemis Iniquitate,
Ulteriora meditans, & intentans,
Morbo Corripitur iniquiſſimo,
Nec vitæ profuit Virtus,
Qui *mille* dedit, *Uni* tandem ſuccumbit *Morti*,
In hoc ſolum ingratus *Imperio*
Deſeruit *Cæſarem*, Defecit ad *DEUM*,
18. Aprilis, Anno Dom. 1690.

Sic

Sic cecidit Dux Invictiſſimus æque Pius ac Magnanimus,
Hic quieſcit, ſpe, beatæ Reſurrectionis, immo ſecurus,
In hoc ſigno Conſolatus quo vicit, *Antichriſtum* &
Chriſtianiſſimum.

Dulcem Soporem agite,
Suavem odorem ſpirate,
Beati, Dulciſſimi Cineres,
Urnam cuſtodite, Umbram inſectamini,
Vos O Virtutes, quas coluit,
VIGILANTIA FORTITUDO,
Mortuumque conſervent, cui vivo inſervierunt.
Victrices Cineres!
Non altero rogo violandi,
Nec vel ab *ipſo* Francorum Rege *Incendiario*,
Quo *vivo*, ne *Mortui* quidem *requieſcant in Pace.*

Voſq; ô Cara Pignora, Dulceſque Reliquiæ!
Quas Moribundus *Cæſari* commiſit *CAROLUS*,
Abſtinete, Temperate, Luctu, & Lachrymis,
Sine veſtris, Natura lugebit,
Flebile Marmor, humidumque Cœlum,
Supplete Vices, rigate Cineres,
Carumque depoſitum quod tegitis, *Fovete.*

FINIS.

Frederici Ducis SCHOMBERGI M. S.

HOSPES, VIATOR, ADVENA,
Curioſus, & ſollicitabundus,
Siſte gradum & attende
Si Cauſam quæras
Cur *Victrix* vix exultat *Britannia*?
Devictis Hibernis,
Multum *paucis* dicam,
Uno Duce integrum perdidit Exercitum,
Unius Clade, Dubiam habuit Victoriam
Diviſumq; Triumphum;
Sic Damno Publico
MAGNUS ille cecidit SCHOMBERGUS;
Salutis Ann. 1690
Pro *Salute* Populi, *ſuam* & *Vitam* perdidit;
Miles *Octogenarius*, at non *Emeritus*,
Poſt *Octoginta* Annos *Natus*
Totidemq; Victorias *Denatus*
Ut nec *Vitæ*, nec *Famæ* Finem poneret,
Vixit ut *Immortalis*, ut *Invincibilis* occubuit.

Venenoſa ſatis jamjam *Hibernia*
Nec amplius ut olim *ſine Serpentibus*

Hoc Mortis Aculeo
(Quaſi *Serpens primævus*)
Humanum Vulneraſti Genus.

Sed ſuprà Fatum Animoſus Heros!
GUSTAVUS alter, Moribundus ſpirat Victoriam
Venientia ſpectat *Trophæa*, futuroſq; Triumphos,
Sic *luridas* inter *Cupreſſos*
Palma Lauruſq; Tempora cingunt,
Cecidit, monſtravitq; Caſu tamen decoro
Ducem debere cum Imperatore, *ſtantem Mori*,
Diù *ſtetit* horrendus, nec Hoſti ſolum,
Vel Fato ſuo formidabilis, nec unico ictu feriendus,
Per haſtas, per enſes, globoſq; Tormentarios,
Quod ſuprà mortale videbatur
Letho ſimplici committere timuit inexorabile Fatum;
Quem *Terra* non cohibuit
In illum etiam armavit Elementum *undoſum*
Numero, & *Flumine* obrutus, in *Campo cecidit Aquarum*
Oculoſq; claudit *immerſos*, verè & in *Morte natantes*,
Ingens (dum ſibi ſuſurrat expirans) Anima,
Abi—MAGNOq; NASSOVIO, integram cede vincendi Gloriam,
Dixit—ALEXANDRI BRITANNICI CARUS HEPHÆSTION,
Subitoq; Victor exultat Princeps Auguſtiſſimus,
Fatoq; vere CÆSAREO, VENIT, VIDIT, VICIT;
Sed dum Mortuum ſpectat Amicum
Vultuſq; inter Vulnera Venerabiles,
Duro Certamine Diviſum tenuit Pectus,
Ut PIRRHUS ALTER *Nobiliſſimus*
Damnoſam increpat Victoriam, Fædatoſq; Triumphos.

Vide Lector, & venerare
Novum hujus Seculi TRIUMVIRATUM, ROMANO Majorem,
LOTHARINGIUM, SCHOMBERGIUM, & ORANGIUM,
Duo *Fulmina* Belli nunc CÆLIS Coruſcant
Ut Tertius Heros, TERRAM ſolus ILLUSTRARET.

Sic

Sic Vicit, & in Morte Triumphat,
SCHOMBERGUS;
Indomitus olim, & Ferus Hibernus,
Docilis, jam diſcit ferre Jugum,
Popellus, ter, quaterq; devictus,
Gentem *Sylvaticam*, Ferasq; *Populabundas*
Moriendo docuit *Manſueſcere*;
Sub Jugo noſtro mitti ſic carior Libertas,
Et *Hibernis* ſic *vinci*, veriùs eſt *ſapere*.

Heros Auguſtiſſime!
Quæ Regio in Terris Tui non Plena?
Non Regibus inſervire debet Doctus Firmare Reges,
Regiminis & Fulcrum Hoc rejecit Gallus
Solum ut ſecuriùs caderet vacillans Regnum,
Serò edoctus hoc unico Exemplo
Quantum Malorum poterat ſuadere Religio.

Annorum, ut Famæ ſatur!
Hic *Occidentali* ſepulchro
Hic *Herculeas*, hic (Dux Inclyte) fige *Columnas*,
Satis eſt pro uno ſeculo quod feciſti,
Intacti maneant Cineres
Non ingens *Bourbonius*, nec Alter ullus *Temerarius*
Hic audet *Sacrilegâ* Manu *Venerabile* turbare Buſtum,
Dulcem ſoporem age
Dum Manibus tuis Litatur Inimicus ſanguis,
Triſtesq; Britanni
Cineres nobiliſſimos
Altero Cingunt *Mauſolæo.*

FINIS.